

D. O. M. A.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De
CATARRHO

ad nares, fauces & pulmones
ad normam recentiorum dogmatum.

HANC

Sub

MODERAMINE DIVINÆ MAJESTATIS
consentiente & permittente gratiosissimo SENATU
Asclepiadèo illustris ac florentissimi Athenæi Salani,
PRÆSIDE
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO

DN. GUERNERO ROLFINCIO,

Phil. & Medic. Doct. eminentissimo, Decano Medicæ
facultatis spectatissimo, Practices ac Chimix P. P. meri-
tissimo, ut & Seniore Academia gravissimo,

*Promotore, nec non Patrono omni honoris ac observantia
cultu æviternum devenerando,*

pro obtinendâ LAUREA APOLLINARI

Summos DOCTORATUS Honores ac Privilegia
DOCTORALIA ritè & solenniter consequendi

publica Pbilictrorum censura subjicit

JOHANNES FRIDERICUS Lehmann /

Zittav, Lusat, Medicinæ practicus Annæmontanus,

In Auditorio majori

Horis ante & pomeridianis D. Julii Anno M. DC. LXXII.

JENÆ Typis SAMUELIS KREBSII.

Coll. diss. A
214, 6

Diss. A. 214. (6)

1772

H. Z. F.

BIGÆ VIRORUM

Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo

DN. MICHAELI HEINRICO HORN,

Phil: ac Medic. Doctori eminentissimo, Toparchæ in Möckern/Bo-

litz & Groß-Schna/Chimiæ P. P. meritissimo, Administ. Archi-Episcop.

Magdeb. Archiatro spectatissimo, Practico in Almâ

Phyluræâ felicissimo,

Dn. Patrono maximo, Præceptori & Hospiti quondam submissâ vene-

ratione colendo, Promotori indubitatè certissimo,

gravissimo,

ut &

Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo,

DN. FRIDERICO GERBERO,

Artis Machaoniæ Doctori famigeratissimo, Practico Reipublicæ

Zittaviensis gravissimo, celebratissimo,

Dn. Patrono summo, Evergetæ munificentissimo, Matruei

honoratissimo,

in super &

V I R I S

Plurimum Reverendo, Clarissimo, Doctissimo

DN. MARTINO LEHMANNO,

Phil. Magistro & Ecclesiæ Zvvochaviensis Pastori vigilantissimo,

meritissimo,

Dn. Parenti suo suavissimo, filiali que cultu & obsequio

etatem honorando,

nec non

Per-eximio, Clarissimo, Doctissimo

DN. SIMONI CRUSIO,

Chori Symphoniaci Directori dexterrimo, Gymnasii Zittaviensis

Collegæ meritissimo,

Præceptori quondam fidelissimo, Matruei honoratissimo ac

Propatri aviternum colendo

Dissertationem hanc inauguralem

In ulteriorem studiorum suorum recommendationem

perpetuam beneficiorum abundè satis in me

collatorum recordationem


debitam paterni amoris venerationem

& non inter morituram matruæ amoris

& nominis cobonestationem

d. d. d.





CAPUT I Prooemium continet.



Uò major rei est usus, eò quoq; majorem ejus abusum esse certum est. Ponamus e.g. fermenta universam in Microcosmo scenam ludentia, phœbo meridiano clarius patebit, horum abusum usui multis parasangis longè antecedere.

U s u s quidem egregius fermentorum negari haut potest, dum quotidie illum observamus, quando non tantum res mechanicas, sed etiam naturales & præprimis sanitatem hominis concernentes, sub quibus etiam res non naturales à Medicis ita dictas comprehendo, consideramus, exactè liquet, ne minimum quidem esse, quod fermentis commodè carere queat, cum tota naturæ necessitas fermentescentibus quasi ligata sit seminibus: ludit enim magnus universitatis Archæus per fermentorum modulos, adeò quidem, ut nullam sine his producat generationem, aut quicquam aliud sublime meditetur: uti hoc ipsum confirmat *Helmontius tractatu imago fermenti imprægn. masf. semine §. 1.* dicens: Notitia fermenti ut nulla in scholis junior, ita nulla utilior. Huic assensum præbet excellentissimus Dominus Doctor *Christianus Langius in colleg. supra aphor. Hippocr. §. 4. Sect. 1.* laudans mirificè fermentorum utilitatem ac necessitatem & spernens eorum abusum.

Aspiciamus machinam corporis nostri Hydraulico-Pneumaticam, cum insigni voluptate admirabimur omnia peragi in eâ amœnissimâ fermentorum agitatione. Agmen ducit stomachus viscerum coqvus famosissimus æque ac benignissimus. Hic assumpta fermentali suo balsamo imprægnat atque in lacteum chyli cremorem transmutat, cui demum liquori illustrissimus Micro-

cosmī Monarcha Archæus tincturam rubineam per fermenta-
 lem spiritum summè exaltatam addit, atque vitali lumine recre-
 at; unde tota massa sanguinea tendens ad majorem sui perfe-
 ctionem per totum corpus intestino motu circulatur, atq; à mem-
 brorum, quæ vices vasorum supplent, facultatibus majorem nan-
 ciscitur splendorem. Splendor autem iste partibus contingit,
 quando per fermentationem purum ab impuro & vitioso seque-
 stratur. Tunc in iis nativa lux illa seu θερμὸν ἐμφυτον, θερ-
 μὸν σύμφυτον καὶ θερμὸν σύντερον, nec non σύντερον πῦρ &
 ψυχὴ & ψυχῆς θερμὸν itemque γνώμη φύσις, uti hinc in-
 de ab Hippocrate appellatur, flammula cordis, quo nomi-
 ne indigitatur à Thoma Bartholino & Jacobo Holstio in scri-
 ptis de Flammula Cordis, accenditur, imò etiam connutri-
 tur. Omnia tunc benè in microcosmo vivunt, vigent atque
 jucundissimâ fruuntur valetudine, fermenta quamdiu ritè
 sese habent. Hæc enim blandas suas operationes in massâ san-
 guineâ beneficio continui istius intestini motus, fermentatio di-
 cti, peragunt, dum ☉ Alkali seu ☐ sum cum ☉ acido, am-
 bo volatilia, blando motu concurrunt, temperatâ pinguedine
 quadam unctuosâ Δεâ ☉ lia ea invicem uniunt & temperata
 reddunt. Unde à motu istorum ☉ lium reliquæ quoque in san-
 guine latitantes particulæ unâ cum succo lacteo chylo scili-
 cet nutritio ex abdomine recenter advecto similiter agitantur,
 permiscentur & fermentantur. Pro hujus fermentationis varietate
 ex rerum non-naturalium diverso insultu & ☉ lium ortâ insigni
 alteratione & variatione est sanitas nostra varia: Spiritibus ipsis
 diversimodè exinde quoq; affectis & in varios furores ac exorbi-
 tantes exagitationes ex irritatione adactis & commotis. Sali-
 um autem horum varietas, ut omninò est innumerabilis, ori-
 unda ex particularum earum variâ, tum inter se, tum cum aliis
 particulis combinatione, ita varietatem sanguinis ingentem
 constituit, non tantum ex multitudine individuorum variabi-
 lem; sed in eodem individuo pro diversitate sexus, ætatis, tem-
 porum anni, vitæ generis &c. admodum & quasi in horas mu-
 tabilem. Quot namq; assumptorum diversi sapor, tot diversa
 ☉ lia.

☉ lia.

Θλια, quæ ex variâ cum succis corporis nostri in primis viis & cum sanguinis mistione vulgarem denuò inducunt diversitatem, eò majorem vel minorem, vel prout magis aut minus sunt alimentosa temperata, aut medicamentosa seu excessiva, vel prout magis vel minus à stomachi fermento subiguntur & alterantur, in genere tamen sub supremo ☐nosi & acidi in tertio Θlfi unitorum conceptu, in microcosmo, sicut in macrocosmo considerantur.

Omnis itaque morborum curatio & contra hos medicaminum salutarium præparatio præsupponit exactam notitiam horum Θlium, & hisce cognitis pervenimus ad fermentorum ipsiusque fermentationis naturam & utilitatem.

Hinc radicales corporum solutiones & illuminationes æthereæ, liquorum attenuationes & præcipitationes, Θlium, volatiliū fixationes & concentrationes, fixorum volatilisationes & sexcenta alia in naturâ miracula nobis manifestantur per unicam Θlium & fermentorum cognitionem. Horum autem naturam & exorbitantiam optimè declarant catarrhi, morbi illi frequentissimi, qui omnes ætates, sexus quoscunque mirum quantum in modum conquassant, horrendasque tragœdias per fermenta sua deleteria in corporibus nostris ludunt.

Arduum explicare horum naturam quidem videtur negotium, sed cum utile sit *ἐν τοῖς χαλεπωτάτοις ἀμα καὶ ἀναγκαιοτάτοις παιδύεσσι* constitui eorum indolem, loco inauguralis dissertationis pro legitimè consequendis in arte medicâ DOCTORALIBUS honoribus, immunitatibus atque privilegiis, brevibus jam (proximâ occasione proluxiori & politiori scripto fundamentis Hippocraticis superstructo, Neotericisque illustrato, quod hâc vice iter, morbus inopinatus, angustia temporis aliaque negocia impedivêre, eruditorum censuræ tradam) in scenam producere.

Tu summe medicinæ Conditor, clementer concede, ut salutaria, cogitemus, lucemque in densis ignorantia tenebris intueamur. Illustra conatus nostros fulgidâ sapientia tua luce, ut nostrum hoc institutum in divini tui nominis gloriam & medicæ reipublicæ incrementum cedat.

C A P U T II
DE
nominali & reali definiti-
one agit.

Telam dissertationis præsentis orsurus ad definitionem me primo statim in limine accingam. DEFINITIO autem cum sit vel *Nominalis* vel *Realis*, illâ prius excussâ ad alteram properabo.

Præclara & laude vetustatis illustris est sententia *Epicæti romano* 1. *dissert. Arrian. c. 17.* Αρχὴ τῆς παιδείσεως ἢ τῶν ὀνομάτων ἐπι-
σκεψίς. *Principium doctrine nominum disquisitionis*: Hâc ipsâ inqui-
sitionem in nominum origines & significationes primum esse
adminiculum adipiscendi rerum scientiam haut obscure vir
sapientissimus non minus verè quàm eleganter innuere voluit.
Nam εἰ μὴ περὶ γέται τῶν ἰσόνων μάθησις, τὰ ἀμείνω κωλύεται,
uti monet *Justinus philosophus & martyr*.

Ne autem id ipsum mihi accidat, & minutioribus ac facili-
oribus neglectis in difficiliorum explicatione hæream, circa
catarrhorum definitionem tria mihi evolvenda sumam: ETYMO-
LOGIAM, SYNONYMIAM ET HOMONYMIAM.

ORIGINEM vocis Catarrhi quod concernit, Græciæ suos
natales illa debet & dicitur ἀπὸ τῆς καταρρέειν, quod si latinâ ci-
vitate donetur, DEFLUERE, DESTILLARE notat. Inde Latini pro-
prio vocabulo, nempe per destillationem, defluxionem, latino
Hippocrate Celso præeunte, catarrhi nomen exprimunt, quam-
vis *Argenterius in commento ad aphor. 4. l. 2.* Scripserit, latinos non
habere proprium vocabulum, quo catarrhi nomen exprimant.
Vid. *Plinius lib. 19. cap. 6. & lib. 23. cap. 8. Carolus Piso de colluvie
serosâ.*

SYNONYMIA varia est. Vocatur nunc ῥεῦμα κεφαλῆς, nunc
καταρρῆν κεφαλῆς.

HOMONYMIA triplex est. Catarrhi vocabulum sumitur GENE-
RALISSIME, pro quâcunque humoris in quâlibet partem corpo-
ris fluxione: SPECIALITER pro defluxione humoris cujusdam ex-
cremen-

crementitii cum sanguine, unde quidam febrem catarrhalem, generari volunt, quando scilicet natura ad humoris superflui expulsionem acrius commovetur, & commoti humores & spiritus vehementer accenduntur. Hinc catarrhum inter febris ephemeræ causas referunt, talesque ante invasionem arthritidis aut erysipelatos eruptionem sæpissimè contingere statuunt practici. Specialissimè verò recentiores per catarrhum intelligunt copiosum laticis vitiosi defluxum in nares, fauces, laryngem & pulmones.

DEFINITUR catarrhus quod sit copiosa defluxio humoris serosi è capite in proximè subjectas partes.

GENERIS locum obtinet defluxio, quæ formalem etiam rationem constituit. Per defluxionem humoris *Helmontius* spagiricorum patriarcha, uti *nobilissimus Boyle Chimista sceptic. partit. s. p. 224.* non veretur eum vocare, & qui teste excell. *J. D. Horstio partit. 1. manuduct. ad medicin. c. 2. artic. 1. Sect. 2. p. 1. pag. 156.* multa exponit, quæ pauci ante eum notarunt, cujus effato eminentissimus *Tackius* quoque album addit calculum *epist. ad Horstium de chirurgia infusoria p. m. 116.* non intelligit unum, ex quaternario humorum, quos in morborum scenam introduxerunt scholæ humoristicæ Doctores, cum in naturâ nunquam extiterit quaternarius humorum numerus quod demonstrasse se putat *tract. de lactice §. 3. & alibi;* sed serum veterum, laticem, lympham cum *Rudbeckio & Bartholino*, aquam nobilem ac fluctuantem, cum *Zassio*, succum nutritium cum *Anglis*, rorem cum *Bilsio*.

DIFFERENTIA SPECIFICA indigitatur per vocem *τὸ* copiosa. Evidenter enim catarrhi laticis abundantiam morborum matrem arguunt.

CAPUT III

partem affectam enucleat.

DUPLEX SUBJECTUM considerandum venit, alterum COLLECTI-
ONIS IN QUO, alterum DEFLUXIONIS seu AD QUOD.

A SUMMO

A SUMMO DICTATORE designatur modò caput modò cere-
brum. Ὁ μὲν ἐγκέφαλος ἐστὶ πηγὴ τῆς φλέγματος καὶ μητρὴ πό-
λις τῆς ψυχῆς καὶ τῆς κοιλώδεως, cerebrum est fons pituitæ &
metropolis seu matrix frigidi & glutinosi. Libro de principiis aut
carnibus illustrat hanc suam sententiam nervosis verbis: Ὅταν
ἀποθήκη ὁ ἐγκέφαλος, cum cerebrum colliquatum plurimam mate-
riam ex se in palatum & fauces & pulmonem reliquumque ven-
trem detruserit, id percipiunt homines, καὶ φάσι καταρρέειν ἐκ
τῆς κεφαλῆς & dicunt ex capite defluere.

Hanc Hippocratis sententiam recentiores multi amplectuntur,
qui glandulas circâ caput laticum & serositatum, imò destilla-
tionum fontes agnoscunt. In glandularum numero cerebrum
etiam cum locum tueatur, cerebrum catarrhorum fontem esse,
inde etiam stabiliunt, imprimis cum observatum, in catarrhosis
non solum odoratum, sed etiam gustatum ablatum fuisse. Hel-
montius tractatu de asthma t. 67. scribit, comperisse se in coryzâ
nec caryophylli saporem deprehendere potuisse, ob læsionem
tertii paris nervorum in principio suo. Nicolaus Steno libro de
musculis & glandulis glandulas catarrhorum vocare videtur
fontes, & qui hæc dixerit illum & symptomata facile explicare
posse addit, cum caput glandulis undique sit obsitum. Omnes
oris & narium partes palati membranæ, fauces, lingua plurimis
glandulis instructæ.

ALII quibus novitatis studium summis est in deliciis,
cerebrum catarrhorum fontem non agnoscunt; Sed duo in
infimo ventre locata viscera accusant, ventriculum & jecur, &
in specie ventriculi frigidam, jecoris autem calidam intemperiem,
adduntque maximam mortalium infirmorum partem huic subjici
tyrannidi hanc ob ἀντιπεραξίαν.

Nobis cum Excellentissimo Domino Preside placet totum,
potius corpus & cor motus catarrhi Principium à quo dicendum.

SECUNDARIUM subjectum recipiens statuuntur ab Hippo-
crate loco citato palatum, fauces & pulmo reliquusque venter,
cur nares omiserit, non liquet.

CAPUT

CAPUT IV

De causis agit.

ELegans ad hanc rem faciens est PHILOSOPHI sententia 2. *physic.*
cap. 3. t. 27. εἰδέναι ἢ πρότερον οἰόμεθα πρὶν αὖ λάβωμεν τὸ ἀγαθόν.
τὸ δ' ἴσθι τὸ λαβεῖν τὴν πρώτην αἰτίαν. Scire non prius opinamur unumquodque, priusquam acceperimus, propter quid unumquodque. Hoc autem est investigare causam primam.

In morborum etiam cognitione & curatione imprimis convenit causarum investigationi invigilare. Hæc sine Palladis portas ingredi, multò minùs regium υἱείας solium accedere nulli licet.

Causa catarrhorum proxima est lymphæ, aqua illa crystallina, quæ in vasis lymphaticis succum à sanguine diversum vehementibus aqueum, à jecore ortum habentibus continetur, & per venam jugularem externam seu jugularis concursum ut & per thoracicas lacteas mediante receptaculo chyliifero in CO R delabitur. Cumque vasa hæc lymphatica ad caput etiam tendant & in ore conspicua appareant, cumque linguæ glandulis *σάλωγοις*, quæ *εἰς σιάλου ἡρέσιν ὑπὸ τῆς φύσεως παρεσκέδαθησαν*, à natura ad salivæ generationem constructæ sunt, ut describuntur à Galeno 3. *de alimentorum facultatibus*, commercium & communionem habeant, nullum dubium eam catarrhis ansam præbere.

Ductus qui in Whartonianas maxillares tendunt glandulas, vasorum lymphaticorum sunt soboles. Inde, clariùs liquet catarrhis in fauces, os, palatum inde subministrari fomitem.

Adnarium glandulosas tunicas internam cavitatem determinantes & circumstantes cum eadem vasa pertingant, clarissimè elucet lympham eandem catharris in nares delabentibus scaturiginem suppeditare & plurium morborum inde emergentium causam fieri posse occasionalem.

Ad CEREBRUM cum pertingere lymphatica vasa hæcenus non sit deprehensum, nullam lympham aut serositatem catarrhorum more depluere adferemus.

B

Memi-

Meminit hujus serosæ substantiæ catarrhalis *per ignem*, ut se ipsum vocat *Helmontius philosophus*, sub nomine *latex humor neglectus*.

Nonnulli lympham à *Bartholino & Rudbeckio*, aquam nobilem & fluctuantem à *Zassio*, nutritium succum ab *Anglis*, rorem à *Bilsio* indigitari statuunt.

Carolus Piso colluviem vocat serosam & multorum morborum originem inde dependere ostendit.

Cur non ergo & catarrhi inde originem trahant, cum variè afficitur latex.

Per varia inquinamenta catarrhales in humano corpore latex ludit tragœdias, SECUNDUM ESSENTIÆ MODUM, cum peccat QUANTITATE, QUALITATE, ACTIVITATE, cum nimis copiosus, acidus, ponticus, falsus, austerus, acerbus, amarus, vel aliâ malignâ qualitate, unde epidemii catarrhi, præditus est, fores malo huic aperire potest.

MOTU cum peccat latex hic serosus, causæ locum tueri potest. GENERARI in capite vel cerebro tanta catarrhorum colluvies ob *δύσκειν πεπονησίαν* non potest, ut ostendit excellentissimus *Præses libro suarum consultationum 3. consult. 1.* MOTUS LOCALIS ut aliunde accedat, necesse est, dominante in toto corpore serosâ colluvie. Si illa cum sanguineâ massâ non in bonâ stet gratiâ, sed seditionem moveat & confœderationis legibus ruptis, hinc & inde moveatur, turgescat & ferociat, turbarum in capite plena sunt omnia, si illuc tendat. Primum fit *εὐμα δὲ μάλιστον* fluxiò impetuosè mota. Impetu fertur ex ostiolis & truncis venarum in arterias, ex arteriis majoribus in minores, ex minoribus in minimas, & porositates glandularum. Ex glandulis rursus elabitur in glandulosas carnes narium, linguæ, faucium, palati, gingivarum, imò ipsos pulmones, partim per arterias, partim per lymphatica vasa, quæ vasis pulmonum accumbunt.

MEMBRUM MANDANS sunt viscera *κυριώτατα* cor, jecur, imò totum corpus. VIÆ sunt arteriæ, & lymphatica vasa.

MODUS FLUXIONIS in mittentibus partibus robustis est *ὄσις* pulsio & expulsio; in debilibus recipientibus *ἔλξις* tractio caloris vel doloris ratione. Adjuvat

Adjuvat hos motus NATURALIS lymphæ ad motum propen-
sio & PÆTERNATURALIS ejusdem ad motum inclinatio depen-
dens ab *ὄγκασμῳ καὶ ζυμώσῃ* *turgescencia & fermentatione.*

CATUT V

causas mediatas proponit.

NATURALEM ad catarrhum dispositionem excitat TEMPERAMEN-
TUM frigidum & humidum, aquosarum lympharum & serosi-
tatum ferax. Debilitat hoc partes mittentes, ut congerant, & reci-
pientes, ut admittant. Cum conspirant *τὸ ποιητικὸν καὶ ἰσχυρικὸν*
καὶ vis efficiendi & opportunitas recipiendi, catarrhi sunt præ-
foribus.

ÆTAS SENILIS licet ad siccitatem inclinēt, ratione humidi
substantifici, excrementitiis tamen scætet humiditatibus plurimis,
& diluvia microcosmica excitare potest.

NON NATURALIUM causarum prima est AER. Duobus modis
aër in catarrhis corpus & ejus partes afficit *εἰς πνοὴν καὶ ἀεὶ χύσῃ*,
inspiratione & circumfusione. Cum cibo aëris ingestio Hippocrati-
as etiam admittitur.

QUALITATE interdum aër causæ vestem induit, sive frigidus
sit, sive calidus. Frigido perse inest, quòd contrarietur naturali-
bus virtutibus. Calidus attenuat, liquet. Intemperies hæ primæ
si hostili jungantur connubio caliditas vel frigiditas humidita-
tem, majori impetu lympham præcipitant. Secundæ qualitates
etiam cum aër nimis est crassus, nebulosus, fomitem suppeditant.

Post nimium corporis æstum cum repentè corporis pori
clauduntur, id quòd per insensibilem transpirationem evacuari
debebat, in laticem spissum coagulatur & cum Θ linis atomis
permistum quandam contrahit acrimoniam & corrosivam vim,
sicque in liquidioris mucis formâ nares & fauces ad excretionem
irritat. Dum custos & spiritus insitus membranarum glan-
dulolarum nasi, faucium oris, palati bene habet, omnia
salva, sed si ab aëre frigido, humido, blas Δ næ, aliisque malis qua-
litatibus prædito, alteretur, custode debilitato catarrhorum fit
patrator, & laticem mucosum redditum sub variâ specie alterat, ut

defluat modò tenuis, modo crassus, flavus, viridis. Inſuetum hunc mucum dum ægrè ferunt fauces cum partibus adjacentibus, mox *Φλογώσθ* rubent ac tumefiunt, cum verò mucì illud productum laryngem occupat, excitato illius archæo, proritatur tuffis, raucedo generatur *videatur Helmontius de asthma & tuffi t. 66 & seq.*

Inter ANNI TEMPORA Hyems ferax destillationum.

Epidemii nonnunquam sunt in malignis & pestilentibus constitutionibus ob aëris infectionem. Valeſcus de Taranta refert se hujusmodi stillationem epidemicam Montepessuli ANNO 1387. vidisse quæ adeò contagiosa erat, ut vix decima pars gentium præter infantes evaserit catarrhum cum febre & ferè omnes decrepiti mortui sint.

Cœlestibus influentiis alteratus aër huc facit. E capite in pulmones decedentes destillationes minatur Δ in cancro à Θ five δ læsa; præprimis si in primâ aut sextâ domo constituta fuerit.

MOTUS ET QUIES, SOMNUS ET VIGILIA *τὸ μετεῖς μάλλον γινόμενα* modum excedentia debitum in avia præcipitant laticem five lympham. DIURNUS post prandium somnus apud multos malè audit, sed tenibus sedendo qui instituitur multorum beneficiorum autor.

CIBI qualitate peccantes & quantitate naturam debilitant. Jusculorum in initio prandiî ordinarius usus catarrhorum patronum nonnulli vocant sed sine merito.

VINI moderatus usus, ut confert, ita immoderatus, in societate cerevisiæ & fumi tabacini catarrhis fores aperit.

EVACUATIONUM consuetarum suppressio patrocinium suscipit catarrhorum.

AFFECTUS animi & *nocturnæ* lucubrationes laticem cumulant.

RES PRÆTER NATURAM variæ occurrunt.

INTEMPERIES viscerum jecoris, ventriculi, hujusque præcipuè infirmitas & mala concoctio, chylificatio & digestio, five quod ejus fermentum sit iners, five ipsa assumta imprimis potu-
lenta

lenta ejus vim infringant unde Germanis proverbium: *güße geben flüße*. Idque apparet ex defectuosa \square æ excretionē aut paucitate sudoris, unde imminuta insensibilis transpiratio arguitur. Ventriculi fermentum nimis fixum, dum potius colliquat, quàm coquit assumpta, chylum facit ∇ sum & Θ lum, hinc sanguis aut ∇ osior aut acrior generatur.

FEBRES catarrhales nomine sunt notæ, antecedunt nonnunquam ceu causæ, nonnunquam sequuntur in epidemicis constitutionibus, & simplicibus alterationibus. Mitiores sunt sæpè, nonnunquam graviores, prout latex sanguini permistus nunc majorem nunc minorem effervescentiam excitat. Circa vespèram interdum augentur & crebris dorsi perfrigerationibus sunt molestæ.

Viscerum duorum epatis & ventriculi *ἀντιπερξία* à multis accusatur.

Scorbuticum *μίασμα* lympham disponit ad præcipitium catarrhorum. Scorbutus quasi morio est omnibus se immiscet morbis. Accolæ Balthici maris scorbuticis infestantur catarrhis. Et Pichotus inquit Bordigalæ esse hunc propter urbis situm atque incolarum vivendi rationem ceu patrium & vernaculum. Montanus scribit: Veronæ talis est locus, ut homines post quadragesimum annum omnes laborent catarrho scorbutico & plerique ex eo moriantur.

Coronidis loco quæritur, an etiã materia catharralis ad pulmones defluat? Negativam tuetur *Helmontius tract. de asthm & tussi ut & tractatu catarrhi deliramentum*, quandam mucosorum excrementorum in pulmonibus degenerationem ex errore proprii fermenti contractam statuens. Detexerunt nobis felices accuratiorum anatomicorum manus, cartilagine arteriæ asperæ lymphaticis instrui ductibus per eos defluxionis materiam ad pulmones supernè derivari suspicatur *extellentissimus Pauli*, quod speciosè explicat, undè internâ facie cartilagine asperæ arteriæ circulariter crassiore muco oblesæ sæpè appareant, prout hoc in tibicine ad summum usque epiglottidis vidit quidam; verùm hæc nullatenus impediunt, quo minus vera non sit *Helmontii* ten-

tentia, cadere sibi pulmones sua recrementa, quæ ex arteriæ etiam asperæ lymphaticis laticem accersant. Cæterum, quomodo reliquâ membra per consensum vi regiminis participant cum defluxionibus vid. sæpè laudatus *Helmontius* *tr. citat. de catarrhi delirantiam*, §. 60. Esse videlicet catarrhos quosdam per *πρωτοπάθειαν*, seu ex ipsis capitis glandulis fluentes, alios per *δευτεροπάθειαν* seu ex consensu reliquarum partium, ut loquitur *Helmont* c. I. §. 60. vi regiminis oriundos. Alios malignos & contagiosos atque adeò sporadicos & epidemicos, hos *Scenckius* autoribus, *Valleriolâ*, *Stengelino*, *Sporischio*, *Bockelio*, *Salio*, *Fernelio*, *Gesnero*, *Mercuriali*, *Cratone*, *Schulzio* attestantibus commemorat, item *Senertus* *Mercatum* insuper *Wierum* & *Forestum* testium loco huc refert.

CAPUT VI differentias proponit.

Cùm catarrhus sit fluxio humoris abundantis si hic penes *essentiam* consideretur, alius erit serosus, pituitosus, biliosus, melancholicus: *magnitudinis* respectu alius mitior sensim stillans, alius fortis, interdum planè *πυρρόδης* *præfocans suffocativus*. Qui hunc à pituitâ ex capite in pulmones delabente excitari dicunt, risui exponuntur ab *Helmontio*, *tract. de catarrhi deliramentis inscripto*. Videtur nihil aliud esse quàm sanguinis ex quâcunque causâ in pulmonibus stagnatio, ab impedito sanguinis circulo orta. Restagnat autem sanguis, ob nimiam abundantiam, cum propter rarefactionem in pulmonibus majus occupat spacium, vel ob viscidum coagulatum & inspissatum sanguinem stagnationi aptum.

CAPUT VII signa proponit diagnostica.

IMMINENTEM præcedere solent causæ prægressæ, & Symptomata varia. Capitis gravitas, sensuum torpor, oculorum hebetudo, nec non horripilatio dorfi.

Urinam spumofam circulum facientem, signum catarrhi imminantis dicit *Hafniense lun. et Bartholinus de capitis affect.* Somni longi

longiores præter solitum, sternutationes frequentes, emundiones narium & exspuitiones solito copiosiores, alvi segnities, & flatuum copia, hæc omnia arguunt catarrhos. Si simul adsint febriculæ, eæ nocturno tempore, quas tussis, rauco & sputum copiosum sequitur, augmentum capiunt.

PRÆSENTIS indicia manifesta sunt ægris ipsis ac adstantibus, ut doctis illa præscribere parum sit necesse, inquit *Barbetti in praxi capiti 4. de catarrh. §. 5.* Sensibus enim patet, dum multa, per nares, os, fauces externi videmus. Imprimis autem considerandum probè an latex acidus, acris aut tenuis, an crassus sit. *Tenuis* nocte obstructis poris affligit magis. Adjungantur dolor, rubor, excoariatio & exulceratio partium patientium &c. Hæc catarrhum ex mente veterum calidum signant: si hæc absint & potius adsint viscida & crassa contrarium significant.

Scorbuticorum catarrhorum diagnosi consistit in eo, quòd contumaces sint, & curati in unâ corporis parte, in aliâ repululent.

Indagandum, an causam agnoscant vel internam vel externam. Si ab *externâ* nempe injuriis aëris frigidis vel calidis affectus cognitu non est difficilis v. g. si chemicus catarrho laboret, contracto ex Gas carbonum, fumisq; arsenicalibus venenatis ex relatione patebit. Si ab *internâ*: videndum an ventriculus laboret cruditatibus, inde nati catarrhi ex frequenti recurso, in eâdem parte ob vitiatum robur sive tonum non difficulter dignoscuntur. Accidit etiam, ut non in eodem loco, quem primo occuparunt, sed viciniore observentur, tales pro scorbuticis habere possumus.

Digestionis vitiatæ signa sunt non tantum \square æ, quæ ut plurimum pallidæ & tenues excernuntur; sed etiam quod tales ægri sint sputatores, facile sudant, de quæ vitiato stomacho ejusque debilitate conquerantur.

Epidemicorum catarrhorum signa sunt diversa, nonnunquam enim tussis adest molesta cum sputo copioso & catarrho in fauces & laryngem decumbente: affligit calor febrilis cum siti, in appetentiâ & lassitudine spontanea. Hæc indicant notabilem sanguinis effervescentiam & magnam pororum constrictionem, signa hæc
diagno-

diagnostica febris catarrhalis epidemicae Thomas Willis diatribe
de Febr. proponit.

CAPUT VIII de prognosticis signis.

Medicum oportet, uti in cœterâ arte, sic maximè in prognosticis prudentissimè se gerat.

Hoc nervoso præcepto innuit summus dictator, dum prognosticorum suorum primum librum hâc inchoat sententiâ. *Τὸν ἰατρὸν δοῦκέε μοι ἀριστὸν εἶναι πρὸς νοσήσας ἀσθενήσας.* Medicum uti providentia, ut opinor, optimum est. Idem convenit in catarrhis. *Barbetti in praxi c. 4. §. 6.* sequens de catarrhis consignat prognosticon: Catarrhi, inquit, & dolores interdum difficulter curantur. Veritas hujus consistit in varietate causarum. Catarrhi qui à causâ externâ oriuntur, minus periculosi sunt, quàm qui ab internâ, pessimæ verò notæ sunt, qui à scorbutico fomite ortum trahunt. *Sennertus lib. 1. prax. p. 2. c. 34. de catarrhis* timet catarrhos sæpè recurrentes, eosque vocat non contemnendum malum, imprimis si asperam arteriam & laryngem vexent, quoniam variū pectoris morbi in specie phthisis exinde inducatur, adstipulante *Hippocrat. Coac. prænot. text. 359.* idque in dispositis magis metuendum ex ejusdem principis sententiâ *l. 6. epidem. egrot. 3.* Videatur *aphor. sect. 3. 12. it. sect. 2. 40.* quo in loco senibus catarrhos periculosos pronuntiat, ex eo, quoniam per hos digestio senum vitiat. Eorum glandulæ laxiores fiunt ad recipiendum laticem vitiosum, imò abundant vitioso acido.

Catarrhi ex motu laticis impedito, unde inundatur caput, quoque periculosi imò periculosissimi sunt, quoniam apoplexiam, paraly sin aliosque lethargicos inducunt affectus. Minus periculi catarrhi, qui per nares, majus qui per asperam arteriam os aut laryngem excernuntur, maximum, qui causam epidemicam & fermentum contagiosum agnoscunt, portendunt. Denique si citò evacuetur materia sine periculo, contrarium accidit, si tardè fluat.

CAPUT

CAPUT IX
methodum medendi de-
lineat.

Appositè Herophili sententiam *Galenus de comp. med. f. locis.*
16. c. 3. Medicamenta & manus DEI & nihil & vitam & præ-
sentaneam esse necem, nobis communicavit, prout scilicet vel in-
tempestivè vel sine ratione & circumspectione adhibentur: id a-
pud nos seplasiariorum & circumforaneorum quotidiana ferè lo-
quuntur exempla, qui non verentur magno civium detrimento in-
cogitanter & audacter medicamina sua, quæ pomposis & sesqui-
pedalibus verbis panacæas, universalialia, balsama vitæ &c. vocant
hominibus propinare & ægris funera, vespillionibus commoda,
præparare. Medicum autem venerandus senex *Hippocrates* judi-
cat laude dignissimum, gratiosum & elegantem, qui id adeptus est,
ut rectâ utendi viâ ac methodo cæteris præstare videatur *l. 1. de vict.*
ratione in acutis text. 8.

Huic universali præscripto etiam in curatione catarrohrum
insistendum omninò est.

Curatio autem debetur curabili & incurabili catarrho.
Media, per quæ fit hæc curatio sunt duo: methodus medendi
& materiæ præsidiorum.

METHODUS medendi nititur indicationibus tribus.
CURATORIA morbum ipsum respicit, PRÆSERVA-
TORIA causam, laticem ipsum, qui quâ peccat copiâ indicat
evacuationem, quâ substantia & qualitate acri, falsâ, acidâ
tenui, corrigendus, temperandus, incrasandus, quatenus
crassus incidendus. Si â fermento acido ventriculi aut alia-
rum solidarum partium vitiato & depravato emendetur. Si â
massæ sanguineæ ejusq; falsâ acrimoniâ, in viam reducatur.

Per *contraria* fit hæc curatio *σύμμετρα* proportionata ex-
cessui æqualia.

VITALIS indicatio tertia est summè necessaria. *πρω-
τῶν μὲν, verba sunt Galeni ἀπάντων σκοπὸς 9. methodi medendi*
C cap.

cap. 13. ο τῆς ἰουδαίου ἐστὶ. *Prima omnium indicatio est, quae sumitur à viribus.*

MATERIAE praesidiorum desumuntur ex fontibus usitatis, chirurgico, pharmaceutico, & dietetico.

CAPUT X

fontem auxiliorum aperit chirurgicorum.

Hic vel pauca vel nulla suggerit consilia, nisi illis aegris, in quibus catarrhi sunt contumaces & saepe acidi per severantes, tunc recurrendum ad fonticulos & cauteria. Haec voluntaria ulcera producta morbosa aliquantisper eliminant, quamvis causas relinquant, interim alimentum partis proprium fermento catarrhali impraegnatum in pus convertunt forasq; pellunt. Hinc aegris aliqua subnascitur spes salutis.

Suspectum hoc praesidium nonnulli reddere conantur, quorum antesignanus est *Prosper Martianus commento in librum Hippocratis de humoribus.*

Nota est *Helmontii* invectiva, inutilem censet cauterii in catarrhis applicationem, cum quod effluat, non effluat aliunde, sed in parte sit generatum. Archaus enim proportionaliter tantum cruoris dispensat partibus, quantum pro sui nutritione opus habent. Pus est cruor vitiatus in illa parte, qua vulnus est, effectusq; ibidem vitiatae digestionis. Non vero catarrhi materia per vulnus exit, aut partibus debilibus ullum inde promittendum juvamentum. Totalem massam solum minuunt laticis & cruoris alimentarii. Nec quicquam interim de errore membrorum morboq; ibidem characterisato detrahunt aut cogitant, quia destructorem domesticum sive morbosam indispositionem non sunt tollendo aut moderando. Verba sunt *Helmontii Tract. asthm. §. 74.*

Palliatively & per accidens saltem conferre videntur illis affectibus, qui a sordibus quibusdam vitio scilicet primae digestionis

onis

onis, aut vitio læsæ fermentationis in sanguine, aut vitio feri oriuntur, ita, ut quando uterus Dare tributum non solvit, aut character adest in corrigibilis, aut senes ob senium propter læsam partem affectam, catarrhi contumaciores affligunt, tunc juvant fonticuli. Videmus enim & fida rerum magistra experientia nos edocet, naturam interdum excitare ulcera spontanea per quæ expurgat materiam malitiosam teste Sculteto *Observ. 55. & 57. in armamentar. chimico & testantur practici hinc inde in scriptis: ulcera intempestivè occlusa catarrhos excitasse.*

Lazarus Riverius consiliarius medicus ac professor regius in Universitate Monspeliensi celeberrimus novum suo tempore quorundam inventum cauteriorum adhibendorum in curâ catarrhorum inveteratorum recenset. Hujus adducit experientiam duplicem nempe in cervice prope venas jugulares in musculorum interstitio. Addit hujus cauterii beneficio catarrhum inveteratum raucedinem efficientem in duobus curatum fuisse. *Vide prax. l. 1. c. 15. de catarrh. Zacutus Lusitanus lib. 2. prax. admirand. Observ. 160. cauterium retro aures, tanquam præstantissimum ad omnes destillationes à capite manantes remedium plurimum commendat, & antea dictus & laudatus Riverius citato loco inquit: Nos in fluxionibus oculorum præsertim laudabiles inde effectus vidimus.*

An hoc loco convenient ingeniosa quorundam curiosorum inventa, nempe novus medicamenta applicandi corpori nostro modus, dum immediatè medicamenta venis infunduntur, unde *Chirurgia infusoria* appellatur, cujus genuina filia est *Transfusoria*, dum sanguis ex uno animali in aliud transfertur, relinquo illis, qui hisce novis periculosis, interim non negligendis; sed ulterius rimandis operationibus, novisq; medicationibus delectantur, modò ne fiat cum damno ægrotantium.

CAPUT XI

pharmaceuticum aggreditur fontem.

Hic pro diversitate causarum & circumstantiarum diversis nos instruit medicamentis. Inter ea alia (1.) copiosum laticem evacuant aut vitiosum corrigunt. (2.) quædam crassitiem laticis attenuando & incidendo subtilisant (3.) nec non vitiatum fermentum stomachi sanguinisq; acorem rectificant, moderatè temperant, atque dulcificant.

Hoc optimè perficient medicamenta tam interna, quam externa.

Interna cum primis erunt purgantia anticatarrhalia, diaphoretica & diuretica, Ole præprimis volatili abundantia. De singulis jam in specie.

Hæc in catarrhis locum inveniunt, quando illi sunt contumaces, aut ex stomachi vitio oriuntur, aut corpus existit impurum, imò ubi contumacius malum ad vomitoria pergit *Riverius in praxi obs. cent. 2. obs. 90.* Deinde in catarrhis sæpius recurrentibus cum primis in senibus aut similibus semper antè purgationem prius succinata aut ex spermate eeti & myrrhâ præparata medicamenta usurpanda, tunc lenia purgantia locum habebunt optimè.

Præ reliquis autem primum ferè obtinent locum M'. de succino Cratonis. Hinc tale formamus purgans, ℞ M'. de Succin. Craton. ℥j. extract. helèn. vel absinth. ℥ss. scammon. ꝯat. gr. ij. resinæ gialapæ gr. 4. l. ʒ. in catarrho acri. Si crassus fuerit catarrhus, tunc add. extract. trochiscor. alhandal. gr. ij. c. f. q. ʒ. succin. f. pilulæ. Gialapâ ordinariâ dosi ad ℥j utitur *Riverius* cum ʒ. d. ad gr. XX. rad. jalap. gr. 8. l. X. *cent. 3. Obs. 28. 48. 46.* in catarrho spisso colocinthis ipsi in usu est, quæ per ∇ fol. ☿ aut per ☉ ☿ volatile corrigitur. Optimè etiam convenit *resina succi Peruani* flavi purgantis *gummi Gotte* communiter dicti à gr. vj. ad X. Specificum pur-

purgans *Poterius* in usu habet, quod est decoctum melanagog. c. saffra. Confirmat *Penotus*, quod cura consistat in helleboro nigro, si modò virulentia ejus corrigatur.

Porrò laticis abundantiam imminuunt partim *diaphoretica*, partim *diuretica* anticatarrhalia. Constant enim omnia Ole volatili aromatico, quod potens est tam sensibiliter, quam insensibiliter expellere ea, quæ naturæ sunt onerosa.

Hinc laudamus serpillum, saturejam, thymum, majoranam, salviam, fl. anthos, lil. convall. fl. lavendulæ, roris marini, rad. acori veri, Zedoariæ, angelicæ, arthemisiæ, de quâ *Franciscus Joël* ut & *Schröder. in Pharmacop. l. 4.* refert, quosdam multa perhibere de carbonibus pridie D. Johannis Baptistæ sub radicibus arthemisiæ evulsis; sed falluntur, quòd radices arthemisiæ antiquæ, annosæ, emortuæ, multò Ole volatili constantes, habeant pro carbonibus & inquit *Deckers in prax. Barbett. c. 1. de epilepsiâ p. 7. in notis* semper ferè sub arthemisiâ reperiri, adeò ut tantum quædam superstitio sit, quod radices illæ emortuæ, annosæ prid. D. Joan. Bapt. circa duodecimam nocturnam evelli debeant. Magni quoque usus sunt *bacca Juniper.* & exinde paratum *rob juniperinum*, imò ipsum *lignum juniperinum* & exinde chemicâ arte ritè præparatum *spiritum & malvaticum juniperinum excellentissimi D. Rolfincii, Patroni ac Promotoris mei æviternum colendi*, in evacuando latice copioso magnifacio. *Lignum lentisci*, præ reliquis tamen *Sassafras* commendat *Brunnerus*. Hoc enim saporem obtinet aromaticum, hinc laticem nunc per sudorem, nunc per □ evacuat. *Excellent. B. M. Doct. Michaëlis in colleg. præct. super praxin Jonston.* lignum saffra proprium catarrhorum alexipharmacum vocat. Varia inde infusa præparari possunt cum liquoribus appropriatis, præcipuè *spiritu serpilli*. Antea laudatus *Deckers* commendat in *not. super prax. Barbett.* in catarrhis frigidis, pituitosis, viscidis, *decoctum ex ligno guajaco, saffra, serpillo & roremarino.* Decocta hæc quoque commendat *Petrus Lotichius. Matthiolus* dicit rosmarinum coronarium proficere contra capitis defluxiones. *Claudius Deodatus* ait; plurimum valere essent: trium herbarum horum. lunar. & melissæ. Admonet autem *Matthæus de Gradi*; hyssopum

pum & rosmar. licet qualitate juvent, subtilitate nocere, si materia fluat. Contra, *Johann Bapt. Zapatha* herb. rosmarin. sine exceptione laudat: vocat enim herbam miraculosam & ait ad catarrhos esse præcipuam; hic ex hac conserv. ut vocant, & Essent. ac Balsamum præparat tragacanthæ admiscendo oleum. Cæteroquin *oleum* rosmarin. fit insolatis in vase vitreo foliis, ut etiam flor. roris marini, ac *Sebizius* etiam scribit, vinum rosmarinatum catarrhos ficcare. *Conrad. Kunrad.* ex rosmarino balsamum & *Job. Poppius* ∇ am conficit. *Gabelhoverus* decoctam chinæ cum fructu præscribit: alii decoctum ligni lentiscini c. mastiche singulariter commendant. Decoctum catarrhale suum commendat *Mynsichtus*, it. vina anticatarrhale. *Lindanus* laudat insigniter sequens vinum anticatarrhale. \mathcal{R} . rasur. ligni sassaf. \mathfrak{z} ij. rad. cariophyll. \mathfrak{z} j herb. rosmarin. recent. $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$. infunde in mensur. 2. vini coque in vase clauso in MB hor. 8. deinde refrigera & vinum colatum propinetur; hoc etiam ventriculum roborat, laticemque vitiosum corrigit. Paratur quoque ex *cortice tamarisci* vinum anticatarrhale compositum, ingrediuntur illud lign. guaj. cort. tamarisc. $\mathfrak{a}\mathfrak{a}$ \mathfrak{z} iiij. lign. rhod. sassaf. gummos $\mathfrak{a}\mathfrak{a}$ \mathfrak{z} ij. herb. absinth. vulg \mathfrak{m} j. Scolopendr. eupator. menth. hyssop. $\mathfrak{a}\mathfrak{a}$ $\mathfrak{m}\mathfrak{ss}$. rad. helen. centaur. $\mathfrak{a}\mathfrak{a}$ $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$. Zedoar. cinam. \mathfrak{z} j. mens. 4. vini tent in infus. per σ & ρ sumatur haustus ante pastum. Majoris efficaciz præter dicta vegetabilia sunt, *Essentia* lignorum composita, *Tinctura corall.* sassaf. Ess. flor. anthos, salv. serpilli, lil. conyall rosar. & similia.

Verum est de *succino*, quod appropriatum sit medicamentum catarrhis, si debito modo præparetur cum spirituosis. Sic magnificimus *succinum catarrhale D. Michaëlis*, \ominus *succini* volatile & exinde præparatum *liquorem* dictum C. C. *succinatum*, cujus salutarem effectum ipse aliquoties in catarrho dicto suffocativo expertus sum. Paratur ex \mathfrak{ss} Sp. C. C. benè rectificati & proprio \ominus le volatili imprægnati cui adduntur \ominus lis volat succ. \mathfrak{z} iiij. Miscentur & per reiterata cohobia destillatur, adhibetur à gtt. 10. usque ad 20. 30. majoris efficaciz erit hic liquor, si ipsi addatur \ominus genuinum microcosmicum, quo mirabilia in praxi medicâ præstare possumus: Verum res est altioris indaginis & non cuivis nota. Præte-

Præterea in his affectibus catarrhalibus utramque faciunt
paginã Θ LIA VOLATILIA \oslash sa aromatica dicta, hæc enim non tan-
tùm propter singularem vim stomachicam fermenti exorbitantias
corrigit, verùm etiam abundantiam laticis per virtutem sua m-
diaphoreticam ac diureticam tollunt, quæ cum varia occurrant,
illa seligemus, à quibus plus utilitatis ægris contingere accuratã
observatione notavimus.

Huc spectat *Alkali Ψ ri volatilifatum*, quod ad succedaneas
famosissimi liquoris Alkahest dignitates accedit. Pleraque
 Δ ea spirituosã Θ linis volatilibus juncta profunt, unde Θ *vola-*
tile \oslash sum Sylvii, quod assumtum mirabiles monstrat vires, im-
primis si ex cinamomo paratum. Et ex eodem fonte profluit
decantata *Essentia Cinamomi* cum spiritu quodam volatili *vũ cũ*
ἀγίας D. Hegewaldi practici quondam apud Annemontanos cele-
berrimi, quã magnalia præstitit in curando. Ut paucis plura
comprehendam, omnia Θ lia volatilia quæ fermentationi san-
guinis & spirituum robori egregiè conducunt, præparata ex
speciebus aromaticis cephalicis huc pertinent, laudabiles inde
microcosmi infirmitates persentient effectus.

Referendum huc etiam est *saccharum Roris*, quod summo pe-
rè commendat *Helmontius*, Θ itidem volatile, quod cum Mannæ
 Ψ io ejusdem matris sobole conjunctum \odot Croco Tincturæ pur-
puram extrahit & maximæ potestatis medicamen efficit, corporis
nostri labem emendans *tract. imag. ferment, §. 33.* Archæi excan-
descentias extinguens, ejusque thymoses morborum quidditates
παιρξέσως compescens. Quare Augusto Rorem dignantur non-
nulli titulo liquoris Alkahest, qui aliàs universale menstruum
est chimix apes. Spermã ceti recens egregium in desperatis ca-
tarrhis est remedium, resolvit enim catarrhos & ad excretionem
promovet, uti hæbet *excellentissimus D. Michaëlis in C. P.* Illud i-
psum longè ante eum quoque commendavit *triura Imperat. me-*
dicus Crato. Infantibus potest dissolvi in lacte materno, aut eti-
am in pulve, adultioribus in sirupo appropriato.

Nec omittenda erunt OPIATA semper miscenda cum Δ cis.
Refer hu pilul. Montagnanæ seqq. \mathcal{R} . myrrhæ, styrac. calamit.
croci

croci āā ℥j opii gr. XIV. c. Sirup. rosar. Fiant pilulæ majores de quibus 3. aut 5. assumi possunt post coenam.

Quin & ipsum Δ ejusq; flores in catarrhis non sunt contemnendum medicamentum, sive soli ad ℥j vel cum aliis misti cum succino aut extr. enul. campan. vid. *Rhumel. in theatro chim. med.* Ratione opii recentem adhibemus theriacam, in quâ virtus nondum est infracta. Huic add. parum de Bolo Armenâ.

CAPUT XII

externa proponit præsidia.

Pergimus nunc ad EXTERNA, quæ locis vicinis glandulis catarrhos fundentibus maximè applicanda. Abundat autem præ reliquis corporis nostri partibus glandulis caput maximè hinc capiti ejusque partibus adhibenda erunt medicamenta. Ea autem erunt quadruplicis generis. *Sternutatoria, Suffitus, Masticatoria & Emplastra.*

Naribus adhibentur STERNUTATORIA, ut sunt $\circ\circ$ succini, mastic. majoranæ, roris marini, oleum C. C. destillatum, & a foetore purgatum vertici & temporibus illitum magnarum est virium. Inter pulveres sternutatorios commendo eos, qui basin agnoscuut Tabacum. Hinc expertus sum sequentem pulverem sternutatorium qui talis est. \mathcal{R} pulveris Tabaci Indici $\mathfrak{z}\beta$ majoranæ fol. lil. convall. āā $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$. salviæ, roris marini, succini āā $\mathfrak{z}\mathfrak{f}$. moschi gr. X. ambræ gr. v. M. D. S. *Nüsepülverlein.*

Helmontius curationem defluxionum, i. e. catarrhorum ad radices ad antecedens, *verba sunt Authoris tr. de asthm. §. 67.* ad liberationem ossis spongiosi, dirigendam esse intra quod mucum impegisse primitus custodem errantem, autumat, in hunc finem commendavit paulò ante §. 65. Sternutatorium ex hellebore & sacchari anaticâ proportione, cum helleborus capiti peculiariter prodesse videatur.

pos-

Possunt etiam alia adhiberi folia nicotianæ adpersa aliquoties
▽ â majoranæ & iterum exsiccata cum pauxillo ambrae, ⊖ Oli
solutum in appropriata ▽, nicotianæ & majoranæ, olea
cum unguento rosarum mixta &c.

Notandum de Tabaco, fumum ejus contra catharros esse
præstantissimum: Ejus enim ⊖ volatile corrigit acrimoniam
laticis ejusq; visciditatem, si adsit, incidit, & ratione olei seu
sulphuris narcotici, quo opiatorum vires æmulatur insigniter
conducit ad motus catarrhales sistendos, salivam præterea foras
amandando, copiam lymphæ imminuit. Si huic Tabaco ad-
misceatur pulvis succini aut pulvis feminis ari aut coriandri erit
medicamentum anticatarrhale non contemnendum: non enim
denigrat cerebrum, quod quorundam est figmentum; nimius
tamen ejus usus pulmones vitiat eosq; squalidos & flaccidos ma-
culisque nigris fœdatos reddit. *Vide Thoner. observ.*

SUFFITUS quoq; laudantur non sine fructu. Si enim Aër
attactus inspiratione easdem partes lædit: Sic etiam suffitus
inspiratus læsas abstergit & curat. Tales præparantur ex gum-
matis, ⊖ lia volat. oleosa interiora penetrant, acrimoniam la-
ticis corrigunt à læsione ab extra inductam. Doct. Barbetti
in praxi commendat suffumigium tanquam expertum medica-
mentum simplex ex pulvere mastiches electi, idq; sexies de die
usurpatum, & dictus *author* fatetur se plurimos catarrhis ex
lymphâ crassiore oriundis laborantes curasse simplici suffitu vel
vapore aceti ferro ignito aspersi.

Hartmannus & Lindanus frequenti in usu habent sequen-
tem suffitum. *R.* Succini Gum. animo, āā ʒij Thuris, Mastich.
āā ʒj. resinæ Benzoes ʒij M. f. p. D. S. Räucher Pulver gegen die
Blüsse.

Nec MASTICATORIA sunt negligenda. Pilulæ ex mithridatio
& olibano in ore detentæ catarrhos sistere deprædicantur. Rol-
fincius pro hoc scopo deprædicat trochiscos parvos sublinguales
sequentes. *R.* Opii Thebaici selecti ʒij. Solve in vino Malvatico
in leni calore. Quod dissolutum decantetur per linteum. Co-
latum exhalet. Adde: sacchari ʒij cinamomi ʒiij moschi gr. 6. gum.
D arabici

arabici pulv. minutiss. ad consistent. g. 5. F. Trochisci parvi. Do-
fis. n. 2. 3. *Vide medica consil. l. 5. cons. 1. p. 538.* Optimum
quoque erit extr. Nicotianæ si cum aliis anticatarrhalibus mi-
sceatur.

Ultimò nec EMPLASTRIS carere commodè possumus in catar-
rhis curandis. Meminit. *Lindanus* catarrhorum nothorum *dicens*,
horum symptomata esse, patientes tempore noctis in lumbis &
scapulis dolores sentire: verum notandum, hoc non semper sed
oriri illud à flatulentis intra musculos, quando se constringunt,
contentis. Non quidem negamus corpus nostrum sub ingressu
in lectum fieri valdè perspirabile, jam si manus vel alia pars quæ-
dam extrà lectum aëri frigido exponatur, occluduntur pori cutis,
& per consequens impeditur transpiratio: hinc dolor subnasci-
tur. Interdum quando adsunt dictæ flatulentia, post curam
malum recrudescere videtur. Si verò liquor adsit, dolor paulò
fixius hæret. In his cavendum est ab omnibus oleosis ac pingui-
bus: hæc enim inuncta crustam inducunt cuti porosque con-
stringunt. Tunc quoque nocent emplastra, & convenit opti-
mè Gummi Tacamahac. solutum in vino, extensum super alutâ
& parti affectæ impositum. Si verò non benè adhæreat illi ad-
dendum modicum terebinthinæ hoc egregiè resolvit istas
humiditates. Id patet, quod membra sub hoc protinus sudent.
Majoris efficaciam erit, si ipsi addatur pars una gummi Carannæ
Misceatur & applicetur parti dolenti, sperandus erit effectus sa-
lutaris. Et si caput valdè affligatur à catarrhis *excell. D. Mi-*
chaelis cum fructu adhibuit seq. emplastr. *R.* Emplastr. de Be-
ton. pro bregmat. usitat. Tacamahac. āā q. S. malax. cum s. q. O-
lei succini vel mastich. extend. super alutâ & obduc. syndon. ru-
bro in forma orbis majoris S. *Fluß-Pflaster.* Auxilium ex-
pectant pariter ab hoc emplastro de Betonicâ *Vidus*

Vidius, Johann. Zecchius, Cæsalpinus,
Vigirius aliique.

CAPUT

CAPUT XIII

febrium catarrhalium sistit

curationem.

Consistit hæc in eo ut laticis vitium corrigatur, illudque per blanda diaphoretica imminuatur, quoniam tales raro carent malignitate, id quod ex virium prostratione vigiliisque continuis indeque deliriis supervenientibus apparet. Conveniunt Θ lia volat. diaphoretica, inter quæ succinata item δ ialia fixa subinde volatilibus mista eminere solent velut inter viburna, cupressus.

Magnificimus Alkalia oleis propriis destillatis unita, debitâq; circulatione in elixiria parva mirabilia redacta, (ut ea vocat *Tachenius* p. 37. & 155.) efficient hæc forsân in his febribus catarrhalibus quod de illis speramus, dum sese cum primis nostris constitutivis intimè uniunt, de quibus vid. *Helmont. tract. Tria chemicorum principia* &c. §. 84. Horum cum non unusquisq; possit esse possessor, imprimis cum præter occultam digestionem etiam singularis vasorum apparatus à quibusdam requiratur, quæ duo sanè tam ad fixandum, quàm volatilandum plurimum faciunt, à modernis ceu succedaneum substituuntur Θ lia volatilia, ut vocant, oleosa seu aromatica, in quibus partes aromatum volatiles oleosæ vel eorum plantarumque aromaticarum olea destillata, beneficio \forall Θ li volatili ammoniaco juncta non contemnenda in his & quàm plurimis affectibus exhibent remedia.

Supervacaneum duco in explicatione Diætæ aliquâ uti prolixitate. Si enim vitentur ea in usu rerum non naturalium, quæ catarrhos generare supra diximus, & sobrietas potissimum, diætæ cædo, ut *Helmont. de victus ratione* vocat, observetur, hic quoque fons auxiliorum erit ex haustus.

Hæc sunt, quæ de catarrhis consignare volui, ea ut Benevolus Lector serenâ fronte aspiciat melioremque in partem de his iudicet, humaniter & officiosè rogo.

F I N I S.

INSTITUT

LIBRARY

Coll. russ. A. 214, misc. 6